

2614.


Xm. 188.

Sibi gradilatur Guy Patin * Med. D. et Profess. Paris.
quod maxima medica ab immoderata legendi et suspensi
capititate distractus fuit. Et C. An. 1684. p. 250.

Et mihi post assumptos doctorates honores dicit D.
d'Urbal, Pat. Profess. mens Promotor et hunc
curiosus et amans glorijs et uirtutibus suis et jactis
et M. et alio sive iugis medicinae est hunc.

* idem aliquando occasione amico respondit: se nix a libro
piscis sunt et curunt, si Salmo cum Regina Sabaea, et
omni pompa sua pectora intrarent.

ad. Westhav. Lib. 10. 25. Nat.



AMOENITATES MEDICAE,

CIRCA
CASVS MEDICO PRACTICOS
HAVD VVLGARES.

DECAS PRIMA.

PRAEMISSA EST
MEDITATIO AD HISTORIAM
ELECTRICITATIS.

ANTIQUAM,

AVCTORE

D. HENR. FRID. DELIO.

BOER HAAVE

in Praelect. Instit. med.

Qui medicinae se addixit, tenetur ex scientiae nostrae
natura, vt addiscat id omne, quod de vniuersa arte
aut veteres aut recentiores certum et indubitatum docue-
runt; deinde vt his demonstratis fideliter addat proprias ob-
seruationes suas: ea cerre perfectione, quae in ho-
minum intellectum cadit.

LIPSIAE,
APVD THEOD. SCHWAN,
BIBLIOPOL. QVEDLINBURGENS.

M D C C XXXV.

AMERINATATE

MEDICINA

CASAS MEDICO LOGICAS

DECIMI VOLUME

MAMONTEA ORATIONES

KOEN FRIED.
UNIVERS.
ZU HALLE

DHEB

ALERE A M

ALERE A M



PRAEFAMEN.

Medicinam nil nisi tetrica atque spinosa fouere, pro cognitionis modulo autumant multi. Incertis dubiorum fluctibus agitari eos putant, qui labefactatum corpus humanum restituere adlaborant. Exceptis Grammaticis nihil medicis vilius esse, Plinium loquentem audi mus, iis vero, qui experimenta per mortes agunt, et periculis

A 2 no-

nostris sapiunt. Verum est, non
apologiam merentur, hocce cha-
ractere tanquam atro carbone
notati. Distinctas autem rerum
repraesentationes, phaenomeno-
rum corporis humani per cau-
fas cognitiones, et exoptatas la-
borum medicorum fines et effe-
ctus introspicientes, medicinam
non omni certitudine et dele-
ctatione, elegantia et suavitate
destitutam esse, vltro confite-
buntur. Per has tam cultas re-
giones excurrere in praesenti est

ani-

animus. Non equidem has qua-
lescunque obseruationes amoe-
nitatum nomine insignire erube-
sco. Ita tamen rem expediam,
ut, quanta fieri poterit dexteri-
tate, veras morborum historias
cum curationibus enumerem, at-
que nonnulla porismata inde ac
animaduersiones epicrisi quadam
deducam. Odiosum sectarii titu-
lum ante omnia effugiam, sed sa-
nioris medicinae principiis su-
perstructa literis mandabo. Tra-
do itaque lectori ingenuo obser-
vationum medicarum decadem

A 3 pri-



primam, quam in posterum ad-
huc aliae sequentur. Vtrum in
enodandis intricatis interdum re-
bus felices fuerimus, iudicabit
aequus et ingenuus lector. Eni-
tendum eo est scriptori, vt do-
ctorum suffragia mereatur, et in-
fusorum mores effugiat. Prae-
faminis loco cuiuis decadi medi-
tationes quasdam, vel ad physi-
cam et historiam naturalem, vel
ad quandam medicinae partem
spectantes, adiungam. Primum
occupet locum

AD

AD ELECTRICITATIS
HISTORIAM ANTIQVAM
MEDITATIO.

S. I.

Nostro tempore non de incrementis magis, ex corporum electricitate hauriendis, quam de incrementorum limitibus decernendum esse videtur. Electrum excellens materiae medicae subiectum omnes norunt. Et veteribus singulares eiusdem proprietates haud ignotae fuerunt, hoc tantum discrimine, quod fere solum in electro suffiterint, nostri vero in aliis corporibus eadem phaenomena detexerint, et minus quantum electricitatis scientiam, praecipue per admirandam materiae electricae propagationem ampliarint. Experimentis autem maiori auspicio coepitis, veterum, et praesertim historiae naturalis commentatoris Plinii de electro relata, referam.

A 4

§. 2.



§. 2.

Istum electri significatum, quando pro electro aurum, cui quinta argenti portio inest, pro istius temporis usu loquendi sumit, (a) ad succinum nostrum conferre, labor irritus erit. Inter metalla enim, licet incompleta, succinum nostrum quis refert? Forsan illa corona Syracusani tyranni, in qua mixtionis mensuram ex auro et argento detexit Archimedes, loco auri e tali electro confecta est, si quidem illud splendore aliis palmam praeripuit, Homero teste, qui Menelai regiam, auro, electro, argento et ebore fuisse tradidit. Medium ergo inter aurum et argentum electrum constituit, aurum enim addito argento cura in electrum transmutari potuit.

§. 3.

Mittimus ergo metalla, et inter gemmas Plinii quaeramus electrum. Vbi enim de crystallis et murrhinis locutus est, proxime succinum ad illa accedere autumat. (b) Ortum eius fabula deri-

(a) Plin. hist. natural. Lib. XXXIII. C. IV, in fin.

(b) Lib. XXXVII. C. II,

vat a Phaëtonis sororibus, quarum lacrymas, dum in populos arbores mutatae erant, succinum quotannis fundere finxere Poëtae. Ex lincum vrina, e arboreis electridibus, e limo lacus electridis, ope solis, electoris vocati, gigni electrum alii putarunt. Maxime autem probabile agnoscit, (c) nasci e defluente pinei generis arboris medulla, ut gummi in cerasis, resina pineis, erumpere in insulis septentrionalis oceanii, densari rigore vel tepore autumnali, et quod rapuit aestus intumescens in insulis, expelli denique in littora. Baltiam insulam succino praecipue fertillem fuisse, et pro maris purgamento ibi haberi, id digito nos fere Prussiam, hodie tanta succini thesaura expromentem, monstrat. Verum multae aliae regiones de eius patria certarunt. Germanis nostris autem multum tribuit Plinius, et inter fabulosa refert, eos succinum prius emisse a Guttonibus, cum potius in Germanorum littora succinum eiiciatur, sole radiis vehementioribus in Oceano pingues terrae succoseducente. Gleßum

A 5

alias

(c) C. III.



alias appellarunt, et insulam quandam multo succino refertam Gleſſariam vocarunt. Item succinum, tanquam ex succo arborum proueniens. Aliud adhuc gigni in insula Germanorum Oſericta, et proueniens e cedri genere commemorat. (*) Felix Germania multorum aliorum munerum repertrix, cui et electrum natales olim debuit (**)!

§. 4.

(*) Obsoleta vocabula remittenda ad laboriosiores antiquitatis scrutatores iudico, vtrum maiora inde veteris electricitatis indicia reperire queant. Guttones vero Guthiae incolas olim fuisse videtur. Cum enim in mari Baltico inuentum fuerit electrum, Guthia vero, hodie Iutia, Iütland, adiaceat mari Baltico, porro Guttones proximis Teutonibus electrum vendidisse non nulli adseuerarint, sententia dicta inde confirmatur.

(**) Taciti de electro relata hic loci praeternitente in iuſtum floret. Effluorum autem gentem, Germaniae populum, mare scrutari, et solos omnium succinum, quod ipsi Gleſum vocant, inter vada et in littore legere adſirmat. Omnis autem Germanorum scientia electricitatis vacillare videtur, quando: ipsis, inquit, in nullo
vſu,

S. 4.

Curiosa, quae in scriniis naturalibus asseruantur, succina, nempe formicae, culices, lacertae, electro inclusae Plinius iam olim vidit, atque eadem adhaesisse musteo seu recenti, et adhuc liquido succino, postea indurato creditit (d).

S. 5.

Leuiorum corporum versus attritum electrum motus, Plinio fuit omnino notus (e). Attritu, inquit, digitorum, accepta caloris anima trahunt in se paleas

ac

vsa, pretiumque mirantes accipiunt. Sed, quod non Germanos, stricte sic dictos, putet, sed Effluorum gentem, de quibus paulo ante mentionem fecerat, et quos Barbaris assimilat, textus monstrat. Romanis autem non maiorem electri considerationem tribuit, sed tantum eorum luxuriam electro nomen dedisse, quod antea inter cetera maris effectamenta iacebat, refert. Reliqua, quae de natura succini tradit, cum Plinii relatione fere conueniunt. Vid. Tacit. de situ pop. et morib. Germ. cap. XXXXV.

(d) Lib. XXXVII. C. III.

(e) Loc. cit.



ac folia arida ac philyras (*), vt magnes lapis ferrum. Dioclem et Theophrastum credidisse, quod praeter paleas et stramenta etiam aeris ac ferri laminas ad se rapiat, quoque narrat, paulo post vero addit: ego falsum id totum arbitror (f). Gloriantur nostri de inuenta attractionis caussa, scilicet vertiginosa atmosphaerae electricae mota. Et verum est, admoueamus manum globo vitro ope machinae rotato et electricato, et auram quasi in verticem motam animaduertemus. Forsan et hoc per caloris animam Plinius intellectum voluit, cum saepius pro ventulo et aere sumatur anima. Nonne curiosos veteres miramur, qui vestium fimbria ab electro rapi obseruarunt (g), quos fortassis imitati homines etiam electricare ausi fuimus?

§. 6.

De flamma corporum electricorum dubii haeremus, vtrum Plinio eandem sci-

(*) Tenues arboris tiliae cortices, quibus veteres ad scribendum utebantur.

(f) loc. cit.

(g) C. II.

scientiam adiudicemus, nec ne. Locus quidem (h): Philemon negauit flam-mam ab electro reddi, a strenuis anti-quorum defensoribus de scintillulis cor-porum electricorum interpretari posset, praesertim si conferatur cum Cap. III. vbi chrysele^{ctrum}, seu quod aurei co-loris est, ignium rapacissimum esse re-fert, et ardescere celerrime si iuxta fue-rit. Verum aequitati studeamus. De igne communi sermonem esse, videtur. Flamma accenso succino producta, re-sinosae tantum indolis, succinum esse, probat. In attritu enim pineum odo-rem spargere et accensum taedae modo et nidore flagrare obseruauit (i). Gut-tones vero pro ligno ad ignem succino vsos fuisse (k), credere nos iubet, eos scintillas ab attrito electro reddi, non ignorasse. Propagatione vero materiae electricae, nostros plura praestitisse, et electrificati hominis digito spiritum vini accensum fuisse, quem fugit?

§. 7.

(h) ibidem. (i) Lib. XXXVII. C. III.
(k) C. II.



S. 7.

Ignes ceterum in miraculis habuerunt olim (1). Prouentus enim multi formis ignium ex rariorum corporum attritu, gratum ipsis negotium dedit. Attritis lignis, scintillas gigui, repentinos ignes exsistere in corporibus huminis, exemplo Marcii ardantis, interemptis Scipionibus in Hispania milites ad vitionem exhortantis, ipsorum obseruatio nobis reliquit. (m) Taceo gemmarum lucem.

S. 8.

Circa usum electri animaduersiones spargit Plinius. (n) Praestare aliquid, etiam in amuletis, et quando alligatur, largitur quidem, sed non ob eundem usum feminis placere refert, multo magis ad ostentationem ferri vituperat. Nostro tempore eundem morem inualuisse patet. Contra pituitas, tonsillarum et faucium vitia, nec non lymphatio-

(1) L. II. C. CVII.
L. XXXVII. C. III.

(m) ibid.

(n)

tiones prodeesse, audiuerunt, hinc brachialia, collaria Fluss-Corallen, aurium appendicula confici curant. Pallescunt quidem interdum succina collo gestata, sed quis ad aliam cauſsam quam ad sudoris aliorumque effluuiorum conspurcationem configiet? id quod et coralliis, auro argentoque accidit. Es ziehe die Flüſſe an ſich dicunt, forſan ut folia auri verſus corpus electrificatum mouentur. Scilicet. Bona intentio. Vnius rei plures poſſunt eſſe fines. Et vſum et delectationem volunt. Plus vltra iam procedimus, et non tantum vſum electri externum concedimus, ſed et electrificatione corporum sanitati conſulere, non dubitamus. Optandum, ut ſpeи respondeant effectus. Interim electri electa praeparata interne nobis commendata habeamus. Genuina enim et concentrata eſſentia succini in lymphae vitius, catarrhis ſic dictis frigidis, ſpeciatim in fluore albo mulierum placidaque toni reſtitutione, quanta praefert experientia loquitur. Cum melle, mastiche, aqua ſumtum in puluere, ſtomachi, aurium vitiis et

febrī-

febribus mederi olim quoque creditum fuit.

§. 9.

Vsus oeconomicus, ex attractione succini petitus, foeminis Syris (o) familiaris fuit, verticillos nimirum ex electro confecerunt, quos harpaga vocarunt, sine dubio ut compendium laboris, per faciliorem fili attractionem, haberent. Videtur ergo plura electri commoda iam veteribus nota fuisse, quae nos inter deperdita numerare debemus; ad haec etiam referenda erit adulteratio gemmarum per succina, quia omni colore tingi et mutari potuerunt, praecipue radice anchusae, saevo haedorum, et conchylio.

§. 10.

Laude sua non defraudandos esse maiores nostros censui, qui tantum praestiterunt, quantum potuerunt. Nostrum circa hanc electri consideratio-

nem

(o) C. II. L. XXXVII.

niem esto, vt nouus accendatur ignis,
 ea intimius scrutari, quae iam olim fue-
 re et nunc sunt in tanta aestimatione.
 De corporum enim electricitate inuen-
 ta fere idem iam valet, quod de specu-
 lis causticis inuentis Plinius reliquit p):
 Excedit, inquiens, profecto omnia mira-
 cula vllum diem fuisse, quo non cuncta
 conflagrarent, cum specula quoque con-
 caua, aduersa solis radiis, facilius etiam
 accendantur, quam vllus alius ignis. Eo
 namque peruentum est, vt omnia fere
 corpora igne electrico flagrare videa-
 mus. Aetherem commotum igne etiam
 electrico gaudere, machina Hauksbee-
 na testatur. Quid mirum, quod corpo-
 ra coelestia pro electricis habeamus, tan-
 quam in atmosphaera electrica motas?
 quod porro motum eorum regularem,
 et aequilibrium a mutua et aequali attrac-
 tione deriuent alii? Succina denique
 ob peculiares conditiones et effectus
 tempore Plinii non in minore aestima-
 tione fuisse, quam apud nos, vel ex eo
 iudicandum, quod Nero Popeae suae
 capil-

p) L. II. Cap. CVII.

B




capillos succina appellauerit. Sic optimis rebus miscetur vanitas, quae cum aliis officiis scientias remorat, et generosis animis saepius obstacula ponit, si omnibus neruis, omnia ad maiorem utilitatem euchere intendunt. Interea et in his tentasse sat est. Dabam

Wernigerodae. Idib. April.

MDCCXXXV.



AMOE-



AMOENITATVM MEDICARVM
DECAS PRIMA.

CASVS I.

EFFICACIA ARNICAЕ IN
MORBO E LAPSУ.

Faber ferrarius, quadraginta et octo annorum, habitus corporis robustioris, situ supino versus incudem, cuspide obtusiori praeditum, labitur. Regio praesertim hypochondriaca lateralis sinistra adfligitur. Respiratio mox intercipitur, et semianimis, in lectum depositus, situm corporis horizontalem ferre nequit. Per abdomen et pectus spasmi excurrunt angustantes, et vomendi conatus per interualla redunt. Punctiones, pleuritidem spuriam aemulantes, symptomata augent. Locus autem dolens aliquantum tumet, et sugillatus est. Accersitus venae sectionem in brachio confessim instictui iussi, et ad sanguinem sta-



gnantem discutiendum herbam et flores Arnicae in infuso aquoso ordinaui, coniuncto simul puluere temperante nitroso, cinnabarino, cum cortice Cascarillae mixto. Sanguine ventilato angustiam paululum dissipari, sensit aegrotus, situs corporis erectus vero, et brachii sinistri inter eleuandum summus dolor mansit. Post aliquot dies tussis sicca primo, deinde cum aliqua exscretione secuta est. Herbae ergo Arnicae radicem ari, pimpinellae et liquiritiae admiscui. Calide usurpato hoc infuso, cum noctu in lectum se deponere tentauerit patiens, gravissimis anxietatibus et doloribus versus locum affectum corripitur. Denuo autem idem infusum propinatur, quo facto post duas horulas dolores remittunt, et brachia, quae antea eleuari non poterant, feliciter mouet, erectusque ambulat remittentibus reliquis symptomatibus. Loco dolenti emplastrum saponatum Barbette cum camphora applicabatur. Quia vero dolores abdominales non in totum cessabant, orgasmo sanguinis non amplius praesente laxante e pillulis Becheri et extr. panchym. Crollii colophonem addidi, quippe quod etiam faeces sanguinolentas, cum aegri leuamine eduxit, quo facto puluis antea nominatus, adhuc per aliquot dies continuatus sanitatem aegro restituit, consueto corporis motu postea confirmata.

Epi-

❀ ❀ ❀

Epicrisis.

1. Arnicae effectus in resolutione sanguinis stagnantis nostro tempore mirum quantum sepe manifestauit. Videtur quidem, iam tempore Plinii hanc plantam lapsis adhibitam esse; commemorat enim Hist natural. Lib. XXII. Cap. XVII. Vernulam ab arcis Atheniensis templo cecidisse et vsu Parthenii sanatum fuisse, monstrata prius, Pericli Atheniensium principi, hac herba somnio a Minerua, quare assignata ei Deae, Parthenium vocata est. Verum characteres Plinii, cum nostra Arnica non plane conveniunt, nisi eo, quod aliis Asterici nomine veniat.

2. Et negandum non est, Arnicanam veram Astere luteo saepius adulterari, contrariosque effectus produci. Bohemicae quidem, item Plauenſi ante omnia, dictas vires tribuunt, sed Arnica in casu praesenti usurpata, ex Hercynia Sylva prope Drutenstein petita est.

3. Inter effectus Arnicae potae numerant inſequentes cardialgias, et angustantes vomendi conatus, ita ut a Christ. Io. Langio inter emetica relata sit. Verum plures esse, quibus infuso Arnicae sanitatem recuperatam esse, fatendum est, nulla tamen nauſea nec vomitu ſequente, vel hicce caſus teſta-



tur, vbi primis diebus ista symptomata non sensit aeger.

4. Continuato quidem vsu, et coniunctis duobus radicibus resoluentibus ari, et pimpinellae semel hanc efficaciam, sed cum pulchro euentu exseruit. Cito ergo et tuto conualuit aeger, licet iucundum Arnica medicamentum, tanquam non ad palatum, haud praebuisse videatur. Tamen principium amaricans salinum specificum, hosce iucundos effectus edere, de eo alii huius simplicis medicamenti scrutatores mecum consentiunt.

5. Quia in casibus subitaneis et nocturnis aqua calida pro infuso non semper parari potest, Arnicae extractum aquosum quoque plus vice simplici in usum vocavi, ope agitationis in mortario serpentino cum aqua hyssopi sive millefolii solutum, quippe quod haud dissimiles produxit effectus.

6. Faeces sanguinolentae, factam sine dubio laesionem vasorum breuium, et sanguinis in ventriculum excretionem, indigitant, hinc etiam a ventriculo in consensum ducto, conatus vomendi ante potam Arnicam deduco. Eo magis autem in curationis fine laxantis usus fuit necessarius, nec minus partium affectuarum roboratio per puluerem temperantem cum Cascarilla mixtam.

7. E

7. E partis affectae attenta obseruatione patet etiam brachii dolor, eiusque motus voluntarius prohibitus. Sugillationi enim proxime subiacebat musculus dorsi latissimus, ab vsu aniscalptor dictus, qui per maximam dorsi partem excurrens tandem tendine suo brachio infurit. Anatomiae hinc usus etiam in praxi medica patet. Plura de istiusmodi exemplis inueniuntur in Excell. Junckeri Dissert. de vsu myologiae medico.

8. Venaesectionem in morbis, a sanguine stagnante pendentibus, mirum quantum proficere, experientia loquitur. Motus sanguinis progressiuus aequa ac intestinus enim post haemorrhagias tam naturales quam artificiales augetur, sanguine stagnante dissipando perquam aptus. Et notabile est, primum venaesectionis vestigium, quod apud veteres reperimus, in casu ab alto esse adhibitum. Podalirius enim Machaonis frater, Damaethi Cariae regis filie Syrnae, ex alto domus prolapsus, et grauiter decumbenti, venaesectionem in duobus brachiis adornauit, idque tam felici successu, ut mox conualeficeret: quod ingens beneficium rex remuneraturus filiam suam Podalirio in matrimonium dedit, simulque dotis loco Chersonesum concessit. Vid. Goelike Hist. Med. vniuers. p. m. 264. seq.



CASVS II.

FEBRIS ACVTA PERI- PNEVMONICA INSE- QVENTE CHOLERA.

Vxor viginti aliquot annorum, habitus corporis floridi, animi iracundi, duorum liberorum mater, tussim per aliquot dies siccum experitur, indies auctam, ita ut cum horrore lectum demum petere cogeretur. Sequitur horrorem aestus continuus, pectoris angustia, noctes insomnes et fere ferina tussis, cum qua circa diem quartum sanguis sincerus excernitur. In his diebus ab alio Elix. pect. Wed. Mixt. simpl. Eff. alexiph. cum infuso theiformi e radicibus et herbis pectoralibus, adhibita sunt. Die morbi octauo aduocatus, aegrotam admodum viribus fractam, delirantem, succedente tamen diapnoë inueni. Mixturam ergo dictam seponi iussi, et loco eius ordinaui Potionem temperantem, ex aqua Rub. Id. Chaerefol. Scord. Fl. Til. Galeg. matr. perl. praep. nitr. depur. Lap. cancer. succ. citr. recent. saturat. cinnab. sach. ad grat. edulcoratam. Per aliquot dies adhuc eadem scena ludebatur, summa adhuc debilitate aucta, accedente etiam mihi inuoluntario, et alui inuoluntaria solutione. Iulapium itaque

itaque analepticum ex aqua rub. id. Cinn.
f. v. Syrumo Rub. id. et acetositat. citr. clyso
antimonii sulphurato, cum puluere febrili
e nitro depur. Conch. citrat. Antim. diaphor.
subiunxi, et regimen temperatum cum mul-
tis diluentibus suasi. Versus alterum diem
criticum congestiones anginoideae haud
leues accedebant, quibus gargarismate
emolliente et adstringente simul obuiam
ibam. Ordinabam enim Rad. irid. florent.
Ari. althaeae, caryophyllat. herb. salv. hyssop.
prunell. pyrol. fl. rosar. chamomill. caric.
pingu. alb. graec. cum Syrumo violar. rub.
id. et roob. diamor. adiecto nitr. regenerat.
Euacuato sic copioso muco, et roboratis
partibus relaxatis angina euadebat, deliria
autem per interualla recurrentia non item.
Tendinum subsultus, singultus, et frequen-
tes horrores die decimo tertio obseruabantur,
et paroxysmus circa quamque vesperam
revertebatur, in quo emulsio analeptica ex
aqua rosar. et cinnam. f. v. cum amygdalis
et sem. card. Mar. parata propinabatur, quam
vero principio, praeiudicio, ac si potionis
albae tantum moribundis dentur, ducta, re-
cusabat, postea vero, cum prodesse sentie-
bat, largius sumebat. Die decimo quarto
multum sudorem patiens fundebat, vrina
caeterum interdum colorem brunneum cum
enaeoremate, interdum sedimentum furfu-
raceum subruberum monstrabat. Die deci-



mo sexto scopo vltioris humorum distributionis essentiam scordii et cascarillae horis VII. et X. matutinis, et pulueris supra descripti horis II. V. et VII. pomeridianis dosin, ad scrupulum vnum, sumendam prescripsi. Pro potu ordinario cerevisiam tenuem, cui panis tostus et citri fructula concisa addebat, habebat. Nihilo tamen secius leuia deliria intercurrebant, quae tamen semper negotia domestica, quibus adsueta erat, respiciebant, etiam post alterum diem criticum obseruata. Sensim vero cum die morbi vigesimo primo remitebant symptomata, ita ut die trigesimo qualiacunque negotia domestica repetere potuerit. Tussis interim sicca aderat, ad quam mitigandam infusum theiforme e ligno sassafr. liquir. herb. veron. chaerefol. tussilag. ordinabatur. Materia etiam in primis viis haerens per ructus, et saporem amaricantem fese manifestabat. Dabam itaque duas doses pulueris digestiui e Tart. vitriolat. et conch. praep. tum laxans e massa pil. Bech. et extr. cathol. ana ȝȝ. Laxans quidem sumebatur, sed ob puluerum naufragias praefigurationes, eas recusabat. Post huius laxantis vsum per aliquot dies aliud satis liquida erat, hinc scopo roborandi absorbentia cum puluere cinnamomi, sed sine effectu dabam, quod etiam de essent. cort. aurant. cascarill. et scord. nec non de deco-
cto

cto cydoniorum, et myrtillis fccis ab aliis
propinatis dicendum est. Aluum quotidie
plus decies apertam, deiectiones ex flavo
viridescentes, vehementes abdominalis et os-
sis facri dolores, sitim inextinguibilem,
deliria, insomnia, sputum rursus cruentum
a lenissimo laxante deducere nequaquam
poteram. Inquirenti vero vterius, partim
in aere hyemali refrigerationis, nec non
ad occultam iram concitationis, caussae fese
mihi offerebant. Pro cholera itaque seu
febre biliosa, morbum reputavi, et iam ab-
sorbendo et roborando opus, si quidquam
aliud, iudicauit. Praescripti itaque aquam
rosarum, cydoniorum, scordii, florum au-
rant. meliss. cerasor. ana. ʒj. crystall. mont.
praep. corall. alb. praep. ana ʒj. Lap. cancr.
praep. ʒij. nitr. dep. ʒij. sine sacharo, quae
etiam potio quavis hora ad 3vj. sumta laetos
produxit effectus, dolorum scilicet mode-
rationem, somnum placidum, aluum ordi-
natam et virium recuperationem, ita ut
postea integra sanitate gauisa post aliquod
tempus iterum grauida euaserit.

Epicrisis.

1. Statum omnino dubium, durante hoc
morbo fuisse quis non videt? Tendinum
enim subsultus, singultus cum virium exfo-
lutione, excernendorum inuoluntaria feces-
sio,



sio, a Semiologis pro pessimis habentur signis. Desperationi autem indulgere, sanitas tamen recuperata vetat. Ad praxin hinc medicam Horatii referamus effatum:

*Sperat infestis, metuit secundis
Alteram sortem bene præparatum
Pectus.*

2. Magna vis est, in morbis, temperamenti attenta obseruatio. Deliria enim, post crisi adhuc durantia, lethalia communiter habentur. Et in praesenti casu idem sperari potuisset, nisi agile temperamentum, animus iracundus, curae domesticæ adsuetae aliud nobis persuasissent. Integra vero adhuc vi vitæ, in morbi principio, deliria non semper malum portendunt. Timor enim et motuum praeternalium insuetudo, viuidas producunt repraesentationes, ipsis sensationibus similes, quid mirum? quod eas, irregulares motus, tanquam repraesentationibus proportionati, excipient.

3. Studio, praesentibus iam deliriis, mixturam ab alio quodam propinatam calidiorrem seposui. Oleum enim camino addere id foret, praecipue in subiecto hoc sensibili et viribus fracto.

4. Regimen calidum, medicamentum calidum, vis pessime vnta, sanguinis orgasmo exci-

excitando, incompletas congestiones ciendo perquam apta est. Maius hinc sequitur suffocationis, praecipue in pectoris morbis, periculum, angina accidente, et citissime illa dissipanda tunc opus est. Bene itaque yniuntur emollientia cum adstringentibus gargarismata; ut simul stagnans materia resoluatur, partesque relaxatae roborentur, ut nouo affluxui resistere melius queant. Nec sufficit balneatorum more bis vel ter per diem, gargarisma per syringam iniicere, sed moneantur adstantes, ut ipsi quauis hora injectionem curent. Verum excoriatis faucibus, ne nouus concitetur ob dolorem affluxus, caueamus a fortiori iniectione, sed paremus linteum penicillum, saturato specierum ad gargarisma decocto, cum syrupis mundificantibus et consolidantibus vnto, tinctum, et blandissime partes affectae contingantur.

5. Febris cholérica inter morbos lethiferos Hippocratis refertur. Et fatendum omnino est, bilem in intestina effusam, et in causticam materiam degeneratam, mucum intestinorum resoluere, et ipsas intestinorum tunicas ad gangraenam et sphacelum vsque arrodere. Quantae vero efficacie, in isto morbo absorbentia sint, vel ex ultimae potionis egregio visu elucet. Verum copiosa opus est ingestionē. Sic alius mihi notus



notus est casus, vbi in febre cholerica, vicia semis lapidum cancrorum, pro quatuor dosibus data, intra duarum horarum spatium, itidem laetos produxit effectus.

6. Sputum rursus cruentatum fuisse, in cholera, non mirabitur, qui insignem in tali febre ardente orgasmum non ignorat, tenuem admodum in pulmonibus cicatricem, curata peripneumonia, factam, facile iterum aperientem.

7. Mutationes vero, pectoris morborum, praecipue phthiseos in tormenta ventris, et contra, iam Bagliuus, Romae olim decus obseruauit, qua de re legi meretur tractat, eius de fibra motrice et morboſa Cap. I. p. m. 367. Tussim etiam ex abdomen pectori inferri posse e distributione neuorum paris octauit et sensationis regulis elucet. Conf. Differat. nostram de consensu pectoris cum infimo ventre. Halae. 1743.

CASVS III. SVFFOCATIO SEV STRANGVLATIO HYPO- CHONDRIACA.

Subito ad aegrotum vocor, de quo nuntius, quod apoplexia correptus semimortuus iaceat refert, ita ut praeter calorem, nihil vitae

vitae superficit. Vbi ad illum locum venio,
 vir quinquaginta annorum mihi monstratur
 in lecto decumbens, plane omni motu de-
 stitutus, ita ut vix ac ne vix quidein, eum re-
 spiratione adhuc frui animaduerterem.
 Confestim spiritum salis ammoniaci naribus
 admoui, quo facto tanquam e profundo
 suscitatus somno, oculos antea clausos aperie-
 bat, et adstantium multitudinem mirabatur,
 nesciens quid de eo actum fuerit. Cum
 itaque mens rediret, talia quaerenti mihi re-
 spondit: mobile ipsi esse vitae genus, hae-
 morrhoidibus fluentibus se adsuetum esse,
 ipsasque ante tres dies satis copiose adfuisse,
 dolore autem non destitutas, vrinam se
 per aliquot dies, intra viginti quatuor hora-
 rum spatium, plus vicefies excernere, sed
 sine notabili dolore, in abdomine interdum
 spasticas commotiones adfuisse, hodie au-
 tem subito cum summis anxietatibus hypo-
 thymicum euasisse; iam autem abdominis
 contenta arctissime conquaassari, es waere
 ihm im Unterleibe als zwey Zangen, die
 ihn fest zusammen knippen. Ego vero pul-
 verem antispasmodicum, qui ad manus erat,
 quavis hora ad drachmam semis sumendum
 suasi. Vix autem e domo egressus reuocor,
 et similem paroxysmum denuo aegrotum in-
 vadere animaduerto cum subsultibus abdo-
 minis conuulsiis, nec admota naribus spon-
 gia, spiritu salis ammoniaco repleta, refusci-
 taba-



tabatur patiens, donec aliquot guttulas eiusdem spiritus naribus instillabam, quo facto ad se iterum redibat. Ordinaui Tinctur. salis tartari, liquor. terrae foliatae tart. ana 3ij. Essent. Millefol. Cascarill. ana 3j. horis matutinis VII. et X. XLV. gutt. pro dosi et puluerem temperantem e nitro, arcano duplicito, cinnabari, cascarilla et massa pilularum de cynoglossa horis pomeridianis II. V. et VII. sumendum, nec non doloribus reduntibus infusum, millefolii summitatum, saturatum calide hauriendum.

Epicrisis.

1. Suffocatio vterina, sollemnis passionis hystericae exacerbatio est. Naenias hinc foemellae plorant, de vteri volutatione, et locali translatione, id quod per absonam phrasin: die Mutter steige in den Hals, exprimunt. Nouum igitur terminum medicinae inferre videmur, si sexui potiori eandem passionem adscribere volumus.

2. Sed salua res est. Inquiramus paululum in caussas. Apud foeminas praefertim passio hysterica ab impedito sanguinis progressu per viscera abdominis et partes conceptioni dicatas, intestinorum motu peristaltico inaequali et debilitato, hinc flatuum incarceratorum maiori expansione dependet. Sanguis versus vterum directus hoc loco

co tantum est character distinctius. In eius vicem apud viros succedit motus ad vasa haemorrhoidalia directus. Caetera in utroque sexu pari passu ambulant. Mouit hoc quoque complures seculi nostri medicos, vt malum hypochondriacum et hystericum vna quasi fidelia dealbent.

3. Hypochondriacam voco suffocationem, quia periculum suffocationis in pectori ab hypochondriis pendet. Sic autem, ex mea quidem sententia, formari huius affectus poterit conceptus: Sanguis ad vasa haemorrhoidalia delatus, ibidem excretus est, et quidem fatis copiose: partes solidae hinc magis affectae et relaxatae sunt, resistentia autem in partibus solidis sublata, maiorem in modum ibi accumulantur humores, vasa adhuc magis expandentes, sensum itaque et sensationem excitantes. Per leges motus in corpore humano stabilitas, sensationem sequitur motus sensationi conueniens. Renisus spasticus partium inferiorum fuit motus sensationi conueniens, tanquam sanguinis inaequaliter distributi ulteriore promotionem intendens. Spasmo igitur viscerum et vasorum abdominalium sanguis ad superiora regurgitauit, maiori quantitate per venam cauam ad dextrum cordis ventriculum, ex eo per arteriam pulmonalem ad pulmones delatus est,



est, maior hinc vasorum pulmonalium expansio, vesicularum pulmonalium compresio, vocis consequenter suppressio secuta est, donec motibus spaisticis moderatis liberiori sanguinis circulo promoto faciliori modo e pulmonibus per venam pulmonalem ad sinistrum cordis ventriculum relato, et sic motu cordis systaltico et diastaltico recte restituto, per arteriam aortam egfesus facilior redditus fuerit.

4. Nervorum autem tanquam sensationis instrumentorum ratio est etiam habenda. Scilicet alterantur nervi vasorum sanguiferis circumvoluti, per principia anatomici magis expansis. Propagatur etiam, per proportionem nervorum tensionem, motus ad partes vicinas non solum, sed ad ipsum nervi originem. Par octauum nervorum eiusque congressus cum nervo intercostali excitando consensu inter pectus et abdomen quotidie ansam praebet. Per pectus enim distributum, septumque permanens abdomini multas propagines committit, veluti haec uberior et follicite deducta habet Vieussins in Neurographiae Lib. III. Cap. III.

5. Spasmis abdominalibus praesentibus, vesicam vrinariam etiam propter viciniam affectam fuisse, et tam frequenter lotium excretum esse, non est quod mirum,

mur, speciatim si consideramus, motus haemorrhoidales partes vrinarias saepissime adficere, ita ut malum hypochondriacum non raro mentiatur calculum.

6. Alias etiam, intestinis relaxatis, flatibus generatis, pectori angustia infertur, ventriculo nimirum et intestinis flatulentia distento, et diaphragma sursum premendo, hepar ipsum comprimendo, et sic in eo sanguinis circulum remorando.

7. Sed laboriosum vitae genus forsan in hoc casu haemorrhoides fluentes nos mirari iubet, cum manifesta plethora hominem laboriosum non grauari sciamus. Verum, obseruatum etiam est, haemorrhagiæ in talibus subiectis euenientes non tam plethorae imminutionem respicere, quam potius factæ alicuius laesioris esse indicia. Et ex aegroto nostro compertum habeo, quod aliquando in findendo maiori truncо primum hoc paroxysmo correptus sit, quo factо interdum haemorrhoides fluentes expertus sit.

8. Relaxato partium internarum tono opus est modica eiusdem roboratione. Cum nunc inter tonica sic dicta vulneraria referatur millefolium, facile videmus, qua ratione id ipsum moderator turbarum abdominalium, praecipue a caussa sanguinea

C 2 pen-



pendentium existat. Addo vero, millefolium, flore rubro, plura adhuc saepius mihi praestitisse, quam eiusdem species flore albo. In haemorrhoidibus coecis e summitatibus et floribus rubris suffimigum paratum egregios etiam post se reliquit euentus, quos antea solum a muribus marinis sperare debebamus.

9. Ex hoc casu, quantum in morbis in cauñas sanguineas inquisitio prospicit, elucet. Nec nuntiorum relatis, interdum factis confusis, actutum credat rationalis medicus. Si enim in hoc casu, vbi pro apoplectico habebatur aeger, antapoplectica praescripsissimus, nonne in contraria delapsos culpa nos redarguissest? vel solam flatulentiam agnoscentes calida carminativa propinantes oleum camino addidissimus?

CASVS IIII. OCVLORVM AFFECTVS VAPORE TEPIDO SA- NATVS.

Vir quinquaginta annorum, habitus corporis siccoris, haemoptysin interdum passus est, sub paulo vehementiori corporis motu recrudescentem. Pathemata hypochondri-

chondriaca olim saepius expertus est, ita
vt medicus quidam, pro motibus haemor-
rhoidalibus ea declarans, fluxum haemor-
rhoidalem prouocare nisus fuerit, sed sine
omni euentu, nisi quod vrinae ardor po-
stea eum vexauerit. Ante annum, et quod
excurrit, arthritide per aliquot menses la-
borauit. Aliud iam accidit symptoma,
nempe oculi sinistri inflammatio grauis et
summe molesta, cum visus hebetudine iun-
cta, quae indies augebatur, donec macula
quaedam liuida in tunica oculi cornea con-
spiciebatur. Hoc punctum sensim cresce-
bat in maiorem molem, ita vt post aliquot
dies iris cum pupilla obnubilaretur, et vi-
sus priuatio accederet. Alter demum ocu-
lus etiam patiebatur inflammationem fatis
ardentem, ita tamen, vt visio remanserit, lu-
mine vero ob pruritum et seri ploratum
non gausus fuerit. Petitur consilium. In-
terna ergo respectu, ad statum corporis ha-
bito, cum externis coniunxi. Dedi igitur
species pectorales theiformes e rad. pim-
pin. caryophyllatae, Polypod. Cichor.
herb. hyssop. Veronic. sanicul. pyrol. Hed.
terrestr. Sem. Caru. foenicul. Cort. aurant.
Deinde laxans viscerale pro deriuando af-
fluxu e gum. ammoniac. acet. squill. sol.
et iterum inspiss. Mercur. dulc. et resin.
Ialap. primo, quinto et nono curationis
die repetendum praescripsi. Externe vero

C 3

aqua*m*



aquam ophthalmicam e Vitriol. alb. sach.
saturn. nitro dep. cum aqua euphras. cal-
catripp. Cyan. Rosar. proportionata
quantitate mixtam adhibui. Post usum ho-
rum medicamentorum symptomata quidem
mitiora euaserunt, pterygio vero oculo-
rum non imminuto. Aquae itaque ophthal-
micae septica quaedam nempe croc. metal-
lor. subtiliss pulueris, et edulcorat, cum
aloë hepat. et aqua chelidon. addidi. Ve-
rum et haec votis non respondebat. Pro
vleriori ergo reuulsione laxans e diagryd.
sulphurato, mercur. dulc. Conch. praepar.
ordinavi, et temperantis nitroso cinnaba-
rina pro affluxu humorum congestorio
temperando subiunxi. Vasa autem san-
guifera in tunica oculi albuginea, admo-
dum turgebant et dolebant, ita ut in loco
obscuro tempus terere cogeretur noster.
Interim species praedictae continuato usu
ad finem perductae erant, cum aegroti
euphoria. Pectus enim leniebant et muci-
das impuritates educebant. Petiti itaque
denuo earundem praecriptionem. Dedi
ergo, semine carui et foeniculi paulo ma-
iore quantitate addito, et monui, ut calide
ad promouendam transpirationem iis vtere-
tur. Praecepi etiam, ut oculos inflammatos,
cantharo, ad quem species cum aqua cali-
da dederat, admoueat, et vapores tepidos
ascendere sinat. Stat promissis, et ne dis-
sipen-

sipentur nimis cito vapores, linteo caput tegit supra cantharum expanso. Sub primo statim vnu gratā ipsi superuenit sensatio, ardore molesto remittente. Ter itaque vel quater per diem, per horae dimidium vaporem tepidum admittit, semper de melioribus gauisus. Magnopere porro dictis speciebus fidens, remittente inflammatione, iisdem pterygium sanandum esse credit. Pergit itaque, et cum aliquando ipsum oculum vaporī admoueret, sensum percipit, ac si quis digito aliquid ab oculo removeret, autumat etiam ipsum pterygium esse remotū, quia obiecta nunc distinguere possit. Aduocor, ad laetum effectum animaduertendum. Video inflammationem dissipatam esse, et pterygii vestigium tantum exiguum adhuc supereſſe, et materiam quandam purulentam dictum locum obſider. Iubeo eiusdem infusi internum et externum vsum continuatum, et quia tempus venaeſectionis instabat, offero prius adhuc dosin pulueris laxantis ſupra indicati, et tum venaeſectionem fuadeo, qua celebra-ta indies melior euasit.

Epicrisis.

i. Oculorum affectibus rite consulere, delicatum est praxeos medicae momentum. De rebus etiam follicite feruandis noſtra-

C 4 tes

tes loquuntur: man muss es in acht nehmen, wie ein Auge im Kopfe.

2. Structura enim oculorum mechanica stupenda, diligentem monet obseruatorum, nobiles has partes, non illotis quasi manibus tangere. Execrandus ergo est temerarius tonsorum modus, quo exorta aliqua excrescentia eandem statim caustico aliquo, vitriolo cyprio, vel lapide infernali remouere intendunt, ~~veluti~~ in hoc casu obseruauimus, vbi chirurgus quidam caustico suo nubeculam apparentem, quam externam tantum iudicauerat, tetigerat, nihilque quam molestissimum affluxus augmentum, doloresque eximos concitauerat. Si ergo Aegyptiorum institutum nostris temporibus valeret, quo medicinae cultores uno vel altero saltem morbo operam dare tenebantur, certe ad ophthalmoduliam hortandi forent.

3. Tunica oculi cornea diligenti præparatione et maceratione in plures lamellas diuidi posse, veritas facti testatur. Per has tenuissima vasa, partim nutriendo partim humectando oculo excurrunt, in quibus stases, et stagnantes particulae mirum quantum visui obstant. Plerumque autem hanc stasin sequitur emollitio et relaxatio tunicae huius alias satis durae, ita ut saepe albidiam et liuidam, interdum spumidam faciem

faciem prae se ferat. Huius minorem speciem nostrates vocant: ein Blümchen auf dem Auge. Technice vero si diuersimode macula dispersa est, nubeculam, si digitivnguem aequat, vnguem, si alam papilionis refert, pterygium vocamus, et hanc ultimam denominationem casus noster meretur. Ophthalmia autem cum sit vel serosa vel sanguinea, neutram hic assumo, sed mixtam voco. Statis enim in cornea mucida et serosa, tunica vero albuginea sanguine admodum referta erat. Caussa vero, ex historia morbi fuit sanguinea, in subiecto haemorrhagiis per pectus adsueto. Sanguis itaque ad superiora congestus, viciniam quoque tetigit.

4. Absurdum in vitiis corporis, aegrotorum est desiderium solummodo externorum. Verum quidem est, collyriis oculo mederi, emplastris carminatiuo-resoluentibus abdomini consuli posse, ast vis vnta quoque fortior. Coctis quoque mederi non crudis, immortalis Coi nostri, verissima sententia est. Taceo, quod saepius ophthalmiis, solis internis temperantibus, et deriuantibus laetum auxilium latum sit. Nolim ergo cetera medicamenta externa, fonticulos, setacea, vesicatoria, tanquam morbo grauiora, nisi in casibus pertinacissimis adhibere.

C 5

5. Ad

5. Ad statum itaque aegri nostri merito attendens, interna cum externis coniungere oportebat. Re vero statim non ad vota cedenti, optimum erat continuare, et curam per exspectationem non otiosam instituere. Pessimum enim est, a medico poscere, ut miracula edat. Natura non patitur saltum. Ignorantiae et temerariae ostentationis vtique nota est multis verborum parasangis, in instanti auxilium promittere. Sed haec res ampliorem paraenesis postulat. Dedi vero temperantia et laxantia, affluxu temperando et deriuando. Pectoris vero vitio infusum theiforme erat accommodatum. Externa vero quod non statim open tulerint, eius causa in nondum satis praeparato corpore sita fuit.

6. In externis remediis oculo applicandis cauendum omnino est, ne nimis adstringatur, vel etiam emolliatur. Inter applicandum autem cum penicillis, plumis, digitisue irritatio, nouum adfluxum inducens, ante omnia fugienda est. Garengeottus Galliae chirurgus peculiare instrumentum idcirco commendat, in forma cyathi paratum, quod collyrio aliquo repletum oculo admouetur, illudque quantum adfectus postulat immergitur.

7. Aqua calida ad relaxandum est aptissima. Reddenda ergo erit ratio, cu-
rati

rati adfectus per vaporem. Scilicet species praescriptae, tanquam resoluentis et tonicae efficaciae, pectori adaptatae erant. Infusum ergo calidum his viribus imbutum, non simplex aqua relaxans erat. Partes igitur nobiliores et subtiliores cum vapore adscensae, blandam humorum resolutionem effecit, et tunicae relaxatae tonum restituit. Non vero nego, internum eius usum oculo quoque profuisse, si solum placidam diaphoresin, post haustum calidum, considero, aequalem sanguinis distributionem omnino promouentem. Ceterum saepius obseruavi, si in cephalalgia et gravedine caput vaporibus, e cantharo, potu Caffee repleto, adscendentibus admotum fuerit, dolorum remissionem effecerit, et grauedinem in coryzam mutauerit.

8. Nescio an foeniculo solo, cum ipsis speciebus mixto, hanc efficaciam tribuam, cum foeniculum contusum et aqua calida infusum, eodem modo oculis admotum ferre nihil saepius praestiterit. Ceterum non desunt foeniculi, apud autores, in sanandis oculis elogia, quae eo sese extendunt, ut grauidis eius usum magnopere commendent, quo foetus gestatus maiorem inde oculorum aciem adquirat. Quis in eiusmodi furfuris pollicitationibus, quarum genuinae explicationis spes in longinquop-



posita est, scriptorum materiae medicae fidem interdum vacillantem non animaduerteret? ut saepe omnino quadret: sit fides penes auctorem.

9. Nubeculae, pterygia, tanquam humores viscidi intra siue post corneam haerentes, perfectioni oculorum quidem multum detrahunt, absit autem, ut in iis cataractae caussam ponamus. Huius enim opacitatem cataractam inferre Brislaeus, Heisterus aliique dudum notarunt. Interim a relaxatae corneae, et humorum contentorum constitutione deriuantur nomina: der grüne, blaue, schwarze Staar, cum lens crystallina opaca reddita, et per pupilam conspicua audiat: der weisse Staar.

10. Alterius oculi inflammationem per consensum neruorum opticorum, circa sellam turcicam ossis sphenoidei mire coëuntium, optime explicari posse videtur. Arteriae vero carotidis mira anastomosis, si congestionem sanguineam spectaueris, multum etiam adfert.

CASVS V. MORS PVERPERAE E RESTITANTIBVS SECUNDINIS.

Vxor triginta aliquot annorum, habitus corporis mediocris, temperamenti melan-

lancholico-sanguinei, quinque liberorum mater, ante triginta et octo hebdomades, cum coram iudicio stare coacta, et non levem animi alterationem experta fuerit, abortum patitur non quidem difficultem, sed fluxu lochiorum fere destitutum. Mox iterum ingrauidatur, tempore grauiditatis satis bene decurrente vsque ad hebdomadem tricesimam septimam, in qua ad aliquid ab alto manibus captandum in sellam conscendit, infelici vero sidere tristissime labitur, latere sinistro dolente, et leuibus lypothymiis intercurrentibus. Post aliquot dies versus vesperam dolores ad partum sentit, parit etiam puellam per totum corpus rubentem et debilem. Satis cito quidem puellam edidit cum non exigua sanguinis profusione, secundinae autem restitant. Obstetrix enim per duas horas, trahendo, vellicando vel in sella sedentem vel in lecto decumbentem puerperam macerans, eam denique linquit, et naturae cetera relinquunt. Interim symptomata graviora aegram inuadunt, veluti summa anxietas, aestus, sitis, pauores, haemorrhagia vteri, nox insomnis. Vocor ergo altero die et aegram summe debilitatam, madore diffluentem inuenio, et odorem aduersum cadauerosum percipio. Funiculo vmbilicali pro more deligato, reliquam partem placentae vterinae adnexam, et per pu-

den-



denda pendentem filo femori alligauerat muliercula, et quare secundinam non eduxerit a me interrogata, respondit: sie könne die Frau nicht mehr martern, die Nachgeburt sey inwendig angewachsen. Interim adhuc semel eam educere coepit, sed frustra. Ego vero aliquot pulueres pellentes ordino e hepat. anguill. Borrac. venet. succino, croco et cinnamomo, cum aqua cinnamomi, pulegii et cerasorum sumendos. Versus vesperam rediens easdem circumstantias iterum inuenio. Aluo autem per tres dies obstructo mederi ratus, clysterem parandum suadeo, vtrum forsitan motu ad vicinas partes deriuato etiam secundinae elici queant. Compositus erat clyster e rad. alth. Cichor. herb. meliss. malu. adianth. alb. Rhabarbaro, fol. Senn. massa pilular. Becher. nitr. antimoniat. oleo amygd. et vitell. ouor. Sed proh! adstantes summam debilitatem puerperae timentes altero deinceps mane iniici sinunt clysterem, quem actutum iniciendum preceperam. Ob flatulentiam etiam et dolores abdominales, nec non ad inuitandas secundinas crustam panis tostam, vino hispanico imbutam, et pulueribus cinnamom. croci, cardamom. conspersam abdomini imponendam suasi. Interim funiculus vmbilicalis sensim flaccescit, et in putredinem abit, atque sanguinis congrumati frusta ex

vte-

vtero decidunt. Alia quaedam muliercula
aegrotam, vt haustum aquae carbunculi,
tanquam comprobati medicamenti, assumat,
persuadit, post cuius vsum, si antea non
sensit, iam sentit anxietates et igneos ar-
dores internos, ita vt poculum ad mortem
summa cum indignatione appellauerit. Fe-
bris inflammatoria putrida augetur, vomi-
tus sequitur, et clyster, vti iniicitur, ita mox
iterum effluit, sine alui solutione et secun-
dinarum eductione. Essentiam dulcem
Halensem magnopere commendatam etiam
admitto, sed aequa frustra. Deliria ac-
cedunt, tendinum subsultus metum augent,
pallor in ore sedet, frigus in corpore toto.
Floccos denique legit, puluinaria vellicat,
conuulsiones colophonem addunt, inter
quas nostra tertio a puerperio die ex-
spirat.

Infans edita, primum quidem admo-
dum debilis erat, insequente autem tem-
pore fit robustior, lacte bona nutricis fa-
ginata, sed abdomen redditur duriuscu-
lum, pectus adficitur, rhonchus et stertor
accedunt, ita vt matrem post vnius, et
quod excurrit, anni spatium secuta sit, cum
duobus ante obitum diebus, mammae nu-
tricis sponte lac excernere cessarent.

Epi-

*Epicrisis.*

I. Quanta ignorantia, cum temeritate iuncta, apud obstetrics non raro sit, hoc nefanda rerum testimonia satis superque adfirmant. Quae ergo patrauerit in nostro casu obstetrix, paulo post videbimus. Aliam antea obstetricis cuiusdam ignorantiam et ostentationem referam: Vxor quae-dam quadraginta annorum, valetudinaria, ab ultimo puerperio abdomen tumidum contraxit. Per nouem abhinc menses pedes oedematosae reddeabantur, cacheectica euadebat, et abdomen in maiorem crescebat molem! Ultimo tempore, cum dolores ad partum spurios accusaret, et omnium iudicio pro grauida haberetur, obstetrix accersitur, quae tacto abdomine, et visitatis pudendis partum instare affirmat, iubetque aegrotam ad labores et nisus, balsamumque embryonum propinat. Interim mihi refert, se admotis diligentissime digitis os vteri externum non inuenire, rogatque simul, ut ipse inspicerem. Vbi illuc venio, aegrotam sellae ad pariendum aptae insidentem inuenio, iubeoque ut adhuc semel visitet obstetrix, quae adhuc eadem refert. Inter ea relata mihi historia morbi, ipsemet me ad visitandum accingo, et omni adhibita industria ad os vteri non peruenio. Mammæ erant flaccidae, nec tantillo lactis reple-

pletiae. Grauidam ergo esse constanter nego, et tumorem asciticum, aut excrescias internas iudico. Fruiola vero obfetrix aperte contradicit, et geminum adesse foetum, vel abdominalibus vel dorsis inuicem concretum adseuerat. Mira mulierculae mendacis impudentia! Interim dolores falsograuidae euanescent. Praedico, labie interna decessuram esse aegrotam. Accidit post paucas hebdomades. Maritus ad sectionem me invitat, ipse curiosus. Emaciatum in partibus superioribus cerno cadauer, inflatum vero pedibus et abdomine. Adstantes foetum mortuum vel etiam gemellum me educturum fore exspectant. Incido abdomen, et proh! quae mihi fese offerunt. Steatoma ingens plus duodecim librarum reliqua abdominis contenta tegit. Quaero vterum, sub steatomate latentem. Immitto per vaginam vteri stylum, vteri fundum petentem. Removo tumorem, et vterus vix ovi columbini magnitudinem aequans in conspectum venit. Apertum testimonium obstetricis os impudens compescit, ignorantiae et temeritatis memoris. Ceterum hoc ingens steatoma iam gangraenosum conspiciebatur, originem ab vteri ouariis sumebat, cum mesenterio et intestinis connexum erat, a quibus etiam vasa sanguifera acceperat, quid

D

mi-



mirum, quod tanta mole vterus cum orificio altius retractus fuerit? Ad haec in huius subiecti vesicula fellea fellea vacua XXXXI, calculi pisí magnitudinem aequantes inueniebantur, quorum vnu in ductu choledocco haerebat.

2. Sed redeamus in viam, ex qua scopo non plane inutili egressi fuimus. Placenta vterina ab obstetricie non poterat educi, quia, pro ipsius captu, cum vtero concreta erat. Sed quorsum omnes secundinae, si cunctae non educuntur quae concretae sunt? Vtique si non omnes tamen plurimae cum vtero cohaerent, hoc tantum discriminé, vt altera firmior alia laxior adnata sit. Testantur de hac re vberius Boerhaue in paelect. acad. Instit. Hoboken in anat. secund. hum. von Hoorn in Siphra et Pua, Venette, Kulmus in tab. anat. Haller in not. ad paelect. Boerh. Juncker in Consp. Physiol. Böhmer de situ vteri grauid.

3. Nefanda ergo est muliercularum excusatio, si ignorantiae suae concretionem substituunt. Exscrandus etiam modus est, secundinam ope funiculi extrahere, quippe quo cum placenta vterus grauissime saepius ad prolapsum vsque vellicatur, laceratur, et misera puerpera, quae praeter ea, mo-

monente Hippocrate, pro grauiter vulnera-
ta habetur, ad mortem vsque maceratur,
haemorrhagia vteri enormi secuta. Opta-
rem hinc, vt tractatum germanico idioma-
te editum, von Hoorn Wehmutter lege-
rent, relegerent. Optima autem eius cir-
ca hanc rem paraenesis legitur p. m. 64.
simulque aptior modus educendae secun-
dinae docetur. Scilicet caute digiti, ea,
quam monstrat funiculus, via, vtero im-
mittendi sunt, quibus placentam blandissi-
me ab vtero separat, veluti pasta cum men-
fa cohaerens eleuatur, wie man einen
Brodteig, wenn kein Mehl vnter gestreuet
ist, vom Tisch aufhebet. Hic modus cer-
te meliores producit effectus, ac si ope fu-
niculi extrahitur placenta. Facta igitur
educatione, restitantes adhuc particulae,
tunicarum et sanguinis frustula eodem
modo educuntur. Verum dextre hanc
operationem esse instituendam, et digitis
quasi oculatis opus esse, quilibet agnoscit.

4. Secundinarum autem retentioni si non mox succurritur, desperata res euenit. Digi ergo immittendi erunt citius, antequam vterus post partum iterum occludatur. Sequuntur alias febres inflammatoriae putridae, gangraena et sphacelus, quippe quae symptomata sitis insensibili-



bilis caussae fuerunt. Fere ergo occluso
vtero, cum vigesima post partum hora de-
mum aduocarer, manualis cessabat opera-
tio, ergo medicamentis, quantum possibi-
le fuerat, rem expedire tentauimus.

5. Illa autem aqua carbunculi, quae
aegrotae propinabatur, sine dubio sympto-
mata reddidit acerbiora. Est enim aqua
spirituosa aromatibus calidioribus imbuta,
quae inflammationem internam in gangrae-
nam iamiam abeuntem extinguere nullo
modo poterat. Largior autem, quod in
principio moderate oblata aliquem vsum
in promouendis secundinis praestare po-
tuerit.

6. Hepar anguillae alias inter specifi-
ca partum pellentia numeratur, modo quot-
annis recens praeparetur, vermes enim
facile erodunt, et ad vsum ineptum red-
dunt.

7. Panis crusta in flatulentia abdomi-
nali egregie se praefat, vino et aromatibus
imbuta, nec non in ceteris abdominis do-
loribus colicis. In colica autem haemor-
rhoidal, a spasmis circa venae portae ra-
mificationes orta, sine internis temperan-
tibus et resoluentibus adhibere nolim.
In

In singultu vero laetam subinde efficaciam
praestitit.

8. Absurdus hominum est metus, et
intempestiuia misericordia, si aegrotis de-
bilitatis medicamenta offerre dubitant.
Der Kranke könne es nicht ausstehen, man
wolle ihm nichts zu leide thun, veluti in
hoc casu clysterem non prius admittebant,
quam rebus iam conclamat. Debilitas
enim naturae laborem pro caussa habet,
auxilio vero lato, labores imminuuntur,
et sublata caussa tollitur effectus.

CASVS VI.

VERMES PER VRINAM EXCRETI.

Puer decem annorum, habitus corporis
laxioris, animi segnioris, iam ab incu-
nabulis ex dispositione haereditaria calculo
laborauit, cuius frustula iam secundo aeta-
tis anno excreuit. Postea exquisitissimis
cruciatur doloribus inter mingendum, et
vrina tantum guttatum stillat, quam inter
miserandos eiulatus mittit, et semper circa
missionem in perinaeo cum manu com-
pressionem efficit. Varia per longum tem-

D 3 pus



pus opponuntur pellentia lithontriptica
interdum anodyna. Anno aetatis decimo
nouum quid accedit. Dolores grauissime
exacerbantur, sequuntur clamosee vocife-
rationes, quo facto spasmoticae conten-
tiones cessant, et somnus aegrotum in-
vadit. Inuoluntaria in somno accedit vri-
nae profusio, et cum altero mane surgit, in
lecto vermiculi conspicuntur, in madidis
linteis repentes. Aduocor. Monstrantur
mihi tres vel quatuor vermiculi restitantes,
teredinibus maioribus in caseis conspicuis
similes, minutis pedibus nigroque capite
gaudentes, cauda aculeata. Reliquos iam
Vulcano sacratos audio, suauis aliquorum,
qui artes diabolicas et incantationes hic
praefecto esse adfirmauerant. Ego vero,
vtrum forsan fallacia adfuerit, inquiro, pu-
tans, ascarides minutis per anum forsan
egressos esse. Iubeo ergo ut denuo, si
posset, lotium in matulam mitterer. Facit,
et iterum colluuius verminosa eiusdem spe-
ciei excernitur, quam vitro occludo, et li-
bero aëri expono. Post breue temporis
momentum vitrum respiciens, mortuos
vermiculos iudico, tanquam nullo motu
gaudentes. Fero itaque eosdem in hypo-
caustum calefactum, et spiritum pro iis
conseruandis praeparo. Interea iterum re-
viviscentes huc et illuc per vitrum cursi-
tant,

tant, foras igitur denuo repono, et post
 dimidium horae visito, et vere mortuos
 cerno, quia nullo calore postea excitandi
 erant. Ordinaui autem abstergentia salina
 cum amaricantibus, nempe terram foliatam
 tartari, tartar. vitriol. nitr. depur. pulue-
 rem gent. rubr. aristol. rotund. et pro mi-
 tigandis doloribus cinnab. cum mass. pil.
 de cynoglosso. Addidi etiam postea pulv.
 Sem. santon. myrrh. rubr. elect., quo fa-
 cto paullo mitiora reddebantur symptomata,
 ambulat patiens et cibum capit. Aegrotus
 postea vero indies emaciatur, et cum
 diabete adhuc aliquot excernuntur vermes.
 Scopo itaque roborandi dedi nuc. mosch.
 et qui pro specifico in vrinae incontinentia
 habetur erinaac, vst. cum esalent. Cascarill.
 Centaur. min. interdum oblato croc. mart.
 aperitiu. et spec. de hyacinth. Sed spes
 restitutionis indies euanefecit, appetitus
 nullus, sitis, partium genitalium et vicina-
 rum arrosio acris. Subiunxi potiones tem-
 perantes et analepticas. Dolores autem per
 interualla recurrent, et patiens heclicus diem
 obit supremum. Doleo vero iterumque do-
 leo, quod cultello anatomico defunctum sub-
 iicere, nullis precibus et periuasionibus ob-
 tineri potuerit, ex intempestiva misericordia,
 defunctum qui tanta viuus perpeffus erat,
 post mortem non amplius esse cruciandum.

D 4

Epi-



Epicrisis.

1. Nulla fere pars corporis nostri est, in qua non reperiantur vermes. Communiter in canali intestinorum obseruantur, deinde in cerebro, in naribus, in vesica fellea, in pulmonibus in pericardio, in renibus reperti sunt. Fumo hyoscyami vermiculos rubellos a dentibus depulsos esse memini. Animalia iis etiam scatent. In columbis, in ouium ductibus bilariis, in iumentorum tuberculis dorso incumbentibus obseruati sunt. Eousque quoque pervenit, ut in quolibet morbo peculiares etiam vermes finixerint nonnulli. Ipsam pestem vermis niti, etiam adseuerant. Vid. Christ. Fr. Paullini disquisit. de morte naturali verminosa. Vermes denique in ulceribus externis conspicui extra omne dubium ab insectis ouula illuc deponentibus oriuntur.

2. Prouentus vero horum corpori humano infestorum hospitum multum physicos et Physiologos exercuit. Putredinem aliquam vel saltim corruptionem semper habitaculum vermis praebere, obseruunt. Multi idcirco putredinem generationis vermium cassam agnoscunt. Agmen summus Aristoteles dicit: nonnulla inquiens,

ens, sponte, nullo cognationis semine antecedente oriuntur. Et porro: alia ex terra vel stirpe putrescente alia in ipsis animalibus atque ex eorum partium excrementis dignuntur. Generatio autem talis aequivoqua explosa fere nostris temporibus est, excepta polypi marini historia, de qua videantur Trembley Memoires et Mr. de Reaumur.

3. Motus putredinosus cum sit crudus et inordinatus, aliis vero non sufficit, animalcula stupendo artificio structa inde deducere. Recte hinc ad semen cuiuis generi proprium, recurrendum est. Et quanta est vermiculorum copia, per ouula impregnata sese nobis communicantium, et quam infinita paruitas ouulorum adest, ita ut saepius non nisi oculo armato conspiciantur. Acetum, aqua putrida, caeruleum in prunis conspicuum, colluuiem verminosam monstrat. Nemo itaque nisi plebs in istiusmodi casibus incantationes et energiam diabolicam extimescit. Nil verum enim putat suspicax populus, nisi quod ipsorum iudicio conueniat.

4. Si sectio anatomica in subiecto nostro liquisset, sine dubio laesionem renum vel vesicae animaduertissemus. Expeditum enim est, saniem in renibus vel ve-

D 5

fica

sica cum vrina mixtam ope caloris insipisci ad calcis et calculi formam. Calculus in pueru dudum adfuit, ergo et laesio. Iam experientia testatur, quod vermes corruptionem adament, quid mirum, quod ulcerosos renes, vel vesicam pro hospitio elegerint. Miramur autem quo pacto ad istas partes translati fuerint; summe vero probabile videtur, ouula deglutita, ad sanguinem, et cum sanguine ad renes, et porro ad vesicam delata esse. Possibile est ouulum tale minus aut saltem aequale esse globulo sanguinis, hinc minor in modo fiendi erit contradic^{tio}.

5. Accidit semel in femina, vt intestinum rectum vtero adnexum rupturam passum sit, faecesque per vterum egressae sint. Dubium hoc, apud nonnullos forsan movet, vtrum hoc loco non similis ruptura facta sit, et ascarides minuti per vrethram abierint. Aliae viae enim non patent. Sed religio feminarum sectionem impediuit, et simul studium in tam intricatas res inquirendi. Est ergo aliquid prodire tenus, si non datur ultra. Similem fere casum referunt Acta Med. Wratislau. anno 1725. Clas. IV. art. 17. et 1726. Clas. IV. art. 14. nec non vermes in vrina phthisicorum Tentam. 23. mens. febr. Clas. IV. art. II. Vermicula-

lo-

lorum icones tabula forsan Decadi sequenti addenda monstrabit.

6. Interim in curatione amara anthelmintica, scopo enecandi qualiacunque animalcula adhibui: laesionis abstersio per salina tentabatur: roboratio partium affectarum per tonica nec non specifica contra diabeten intendebatur, sed votis non respondebat effectus. Temperantia tantum optima fuerunt, indicio, quod hostem quem vincere non possumus, placide ad quietem deducere satius sit, quam Andabatarum more pugnare.

CASVS VII.

ASTHMA SPASTICVM SICCVM EX IRA ET NEGLE- CTA SANGVINIS VEN- TILATIONE.

Vir quinquaginta quinque annos natus, habitus corporis strictioris, animi iracundi, in flandis instrumentis musicis operam nauans, per annum et quod excurrit, nulla sanguinis ventilatione, alias adsueta, usus, praegressa ante aliquot dies altercatione, summo mane spasmis abdominalibus vomitum



tum respicientibus, nec non pectus gravantibus corripitur. Statim dosin Elixirii accidi Dippeliani sumit, sed sine effectu, ut potius motuum spasticorum augmentum, praecordiorum angustiam sentire coactus sit. A meridie exacerbantur omnia, et adstantes suffocationem proximam esse animaduertentes, me subito vocant. Pallidum et inquietum per interualla lypothymicum aegrotum inuenio, praecluſa voce, digitis tantum locum adfectum, pectus scilicet, monstrantem. Vasa sanguifera manuum et faciei turgebant, externa frigebant, pulsus erat magnus et tardus, non raro intercurrens. Aluus iam per quadraginta et octo horas occlusa. Rebus sic stantibus, scopo reuulsorio confeſtim pediluuium ex aqua calida suasi, donec chirurgus ad venaeſectionem vocatus aduenierit. Vix pedibus calefactis ructus sonori prodibant, sed ob conatus vomendi compraefentes sine leuamine. Tum secabatur vena in pede, atque sanguis ad vnicias novem detrahebatur, non obſtantibus suspiriis aegroti querulis, ac si omnis sanguis e ſenili corpore proflueret. Deinde eum in lectum licet erecto pectore reponere, pectusque et ſcapulas linteis calidis fricare iussi, et ſequentem potionem quauis hora ad duo cochlearia ſumendam praescripsi:

Rec.

Rec. Gummi ammon. depur. 3iv

Acet. Squill. 3iiii
facta solut. adde

Aqu. Veron. vinos. 3iv

Hyssop. 3ij

Ol. Tart. p. d. gtt. viij

Sach. q. f. ad grat.

Metu suffocationis sic paululum euane-
scente, rauca voce aeger refert, quod re-
spirandi difficultas eum admodum premat,
et pectus stricturis fere obsitum sit. Es-
sey, als wenn ihm die Brust ganz zusam-
men genehet wäre. Mucida sed parca ex-
screatio tussiculosa sequebatur, et alius
circa vesperam soluebatur. Tum sensim
stricturae mitescebant, et somnus lypothy-
misi vacuus aegrotum reficiebat. Altero
die omnia in meliora conuersa videbantur,
hinc restituentibus incommodis horis ante-
meridianis bis Eff. Pimpin. alb. et Casca-
rill. ad gutt. XXXX. sumenda, obuiam ire
consultum a me fuit, a meridie puluerem
e Nitro depur. Arcan. dupl. Conch. citr.
Cort. Cascarill. hora II. V. et VIII. su-
mendum ordinaui. Symptomata indies
imminuebantur, hinc pro vltteriori reuul-
sione laxans e Gummi amm. aceto squill.
soluto et inspissato 3b 3io dulc. et Res. Ial.
ana.



anæ. gr. vij. pro colophone propinaui,
praemissis aliquot pulueribus digestiuis e
Tart. Vitriol. et Conch. praepar. Egre
gius quoque effectus fese manifestabat. Sed
cum viribus suis nimium aeger tribueret,
cubiculum mutaret, atque puluillum pe
ctoralem consuetum seponeret, altero ma
ne fere idem paroxysmus redibat, lypo
thymiis saltem absentibus, ergo ad prius
remedium, Potionem nempe asthmaticam,
erat redeundum, quippe quae etiam alte
rum paroxysmum profligabat, cuius resi
duum Essentia Aronis, Pimpin. Cascarill.
Scord. et puluere antea descripto feliciter
remouebatur.

Epicriss.

1. Asthma spasticum siccum in hoc
casu adfuisse quis non videt? Rigida enim
et spastica pectoris adfectio, orthopnoea
et suffocationis metus id manifesto in
dicant.

2. Caussam huius mali mixtam fuisse
facile patet, si ad plethoram per turgida
vasa manifestam, et ad praecedentes spa
sticos abdominales attendimus. Non ete
nim semper idiopathice patitur in asthmate
pectus, si quidem frequens hypochondria
co-

corum symptoma orthopnoea est, sed saepius sensatio molesta ex abdomine ad pectus propagatur, cuius consensus possibilitas strenuo corporis humani indagatori et distributione nerui intercostalis, et paris octaui neruorum facile patet. Causa itaque in abdomine haerente, utpote quam spasmi abdominis praegressi, et ructus emissi indigitabant, pectus a musico vitae genere iamiam debilitatum in consensum ductum est. Scilicet a praegressa iracundia maior sanguinis adfluxus ad hepar, vasaque bilaria factus est. Hanc versus hepatis viscus congestionem iam alui adstrictio intendit. Maior ergo sanguinis copia per venam cauam ad pectus, consequenter per arteriam pulmonalem ad ipsos pulmones delata est. Hinc ab eius maiori expansione vesicularum pulmonalium compressio, neruorumque affectio secuta est. Praesertim nerui recurrentes magis tensi sunt, quippe qui soli compressi, per experimenta cum canibus facta, asthmata inducere valent. Ructibus et conatibus vomendi partes biliosas, copiosus ab ira secretas, ansam dedisse quis negat?

3. Euacuationum praesertim sanguinearum neglectio, quantas humorum commotiones et regurgitationes efficere valeat,
vel



vel ex hoc casu liquet. Cautius ergo mercari discant, qui licet vitae sedentariae dediti sunt, neque motu voluntario adsuefieri cupiunt, die ihr Blut nicht verarbeiten, tamen sanguinem pro inaestimabili vitae thesauro follicite seruant, et lanceolam plus quam enses carnificum extimescunt.

4. Pectoris adfectus, tum qui musicam instrumentalem tum vocalem adamant, sunt familiares. Testantur hoc varia molimina haemorrhagica, haemoptyses et non raro phthisis. Optime hinc morbi pectoris musicorum locum merentur in Rammazini Tractatu de morbis opificum.

5. In casu praesenti reuulsione humorum versus inferiora facta, indicatio medica resolutionem et discussionem humorum vberiorem, et partium adfectarum roborationem vrgebat. Vtrumque egregie fit potionē ammoniacali superius descripta. Efficacius enim resoluit gummi hocce, et cum aceto squillitico iunctū aluum soluit. Speciatim aqua veronicae vinosa omnibus asthmaticis facile palmam praeeripit, si quidem eiusdem iucundissimum effectum saepius in asthmate humido, oppletione pectoris peripneumonica aliisque adfectibus animaduertere contigit. Verum non nimis spirituosa sit, sed ex foliis succulentioribus

ribus Veronicae, iusto tempore collectis,
concisis et in cella cum vino fermentatis
per destillationem paretur. Olei Tartari
per deliquum potentia digestiva itidem
nota est.

6. Acidorum vero usum in asthmate
qui volet, probet. Ego tanti poenitere
non emo. Flatulentia hypochondriaca per
Elixir acidum Dippeliantum saepius quidem
dissipatur, et mucida ventriculi constitu-
tio corrigitur, verum securam vim anody-
nam in mitigandis spasmis exacerbatis non
praefstat, causam enim ob quam instituun-
tur motus non tollit.

7. Corticis Cascarillae usum, etiam in
adfectibus asthmaticis eximum, alias de-
prehendere contigit. Resoluit enim et di-
scutit, roborante itidem partium tono.
Medicamenta hinc positiva mirum quan-
tum sunt praferenda paregoricis seu ano-
dynis. Illis enim intentioni naturae satis-
fit, et remotis impedimentis, sensatio-
nes ingratae sponte cessabunt, et for-
tiori moderatione raro
opus est.



CASVS VIII.

EPILEPSIA ET ANIMI DELIQVIVM EX STATV MEN- STRVO INORDINATO ET FLVORE ALBO.

Virgo 28. annorum, temperamenti san-
guineo melancholici ex terrore et moe-
rore domestico mensium fluentium sup-
pressionem experitur. Satis autem bene
fese habuit, nihilque praeter artuum gra-
vitatem et dolores ischiadicos, et circa os
facrum accusauit. Altero autem termino
menstruo fluxum sanguinis sinceri exceptit
fluor albus, fere vsque ad proximum tem-
pus menstruum durans. Attamen scena
haec saepius luditur, malumque in deterius
vertitur. Scilicet instantibus mensibus ver-
tiginosa decidit, artus tremunt, leues ac-
cedunt conuulsiones, et cum refocillatur,
artus quidem dolentes accusat, ceterum
quid contigerit nescit, et sibi videtur e dul-
ci somno expergefacta. Per interualla redi-
it paroxysmus et ex improviso saepius
aegrotam inuasit, ita vt illum extimescens
loca periculosiora, cellas, scalas fugere co-
acta

acta sit. Rogatus, studui fluxum menstruum ordinatum restituere, et motus intensos demulcere. Suasi ergo curam menstruam, aliquot ante eruptionem solitam diebus usurpandam. Dedi autem Tinct. Antim. tartaris. Ess. succin. saturat. Pimpinell. alb. myrrh. ana. 3j horis matutinis VII. et X, et puluerem antispasmod. Stahl. epilept. march. horis II. V. VIII. pomeridianis sumendum. Finitis hisce medicamentis laxans ordinaui e mass. pil. Bech. Extr. panchym. Croll. ana. 3j Ref. Lalap. gr. iij. in aqua meliss. vinos. 3ii. solut. Tum venaeiectio post tres menses repetenda in pede administrabatur. Interim denuo inuasionem minatur morbus, repetita autem eadem cura eodem modo, menstrua satis ordinate fluunt, et motus epileptici per septendecim hebdomades cessant. Ingruente autem hyeme vase carbonibus repleto supersedere coepit, more alias consueto, hinc iterum vertiginosi affectus, epilepsia in platea recrudescens ad horam dimidiam durans, et ter vel quater per diem inuadens. Ante omnia noxium carbonum usum magnopere reprehendi, et dicta medicamenta, eodem ordine repetii, donec remissio mali sequeretur.



Epicrisis.

I. Nulla haemorrhagia suppressa maiora incommoda producit, quam quidem fluxus haemorrhoidalis in viris, et menstruus in feminis. Et cum huius symptomatibus sexui sequiori per integrum fere vitam colluctandum est. Taceo iam de neglecto tempore mensium regimine et diæta, et ad pathemata animi tantum respicio. Non nouum est, homines ex terrore e vita deceperisse. Terroris autem operatio in eo consistit, ut peripheria corporis solito auctius constringatur, quod horripilations, artuum grauitates, pallor faciei indicant, sanguisque maiori impetu ad interna propellatur. Testantur id cordis palpitationes, cardialgiae, respirandi difficultas, quippe quae symptomata sanguinis maiori copia irruentis vasaque expandentis euidentissimi testes sunt. Haec vniuersalis constrictio feriet etiam partes vterinas, constrictis itaque vasis restagnabit sanguis excernendus, regurgitando, irreparabile damnum vrgendo. Turbatum istum fluxum, mentis alienationi non raro ansam praebuisse etiam recordor, similem autem casum epilepsiae a mensibus suppressis refert Hofman. Med. Systemat. Tom. IV. P. 3. C. I.

2. In

2. In moerore contra tonus solidorum soluitur, circulus fit tardior, se et excretiones impediuntur, humores spissi et impuri coaceruantur, et sic tristia sequuntur symptomata.

3. Sanguis autem in et circa vterum stagnans tardiori reflexu partes solidas relaxat, impediendis secretionibus, et stasis inducendis aptus. Quid mirum quod hac ratione sanguinis mixtio turbetur, et partium seroso-mucidarum excretio contingat. Hic fluor albus benignus ob vitiatam vteri constitutionem et non raro caussas altius e. g. in tubis Fallopianis, fimbriis haerentes curatu difficulter redditur, quam quidem malignus, qui, caussa modo detecta, integris adhuc partibus, per antiuenera facilitiori curatur modo. Benignus autem fluxus saepe vicarius menstruo existit, hinc adhibitis medicamentis cohimoto, in deteriora cuncta ruunt.

4. Caussa igitur non sublata effectus etiam non cessat. Menstrua hinc in nostro casu ordinate prouocare, intentio erat. Et fatendum omnino est, quod copiosa medicamenta in menstruis restituendis usurpata rem non expediant. Ductus ergo naturae sequendus, illumque dum ipse laborat adiuuemus. Scilicet ante solitum eru-

E 3

ptio-



ptionis tempus resoluentia cum blande invitantibus, et temperantibus adhibenda, et per sex vel octo dies continuanda. Reliquo mensis tempore, a medicamentis abstinemus, negotium autem coeptum eodem sequentis mensis tempore prosequimur. Haec methodus multoties legitima ta, etiam in praesenti casu spei respondit.

5. Praua autem consuetudo, ollis carbonibus ligneis repletis supersedere, lycurgeas exposcit leges. Refrigeratio quidem menstruatis, si quid vñquam nocet, Hippocrate notante Aphorism. Lib. V. aph. 18. vbi, frigida inquit, conuulsiones, distensiones rigoresque febriles faciunt. Verum iste calor a prunis candardibus proficisciens pessimus est. Sulphur namque carbonum vaporosum, neruis admodum inimicum est. Obtundit enim, elasticitatem auferit, ac quae supersedent somnolentiae ac stupidae, vertiginosae evadunt, et caput quam maxime dolet. Optandum forret, ut vasā, quibus in templis supersedent feminae, abrogentur, speciatim enim eae, quae ieiuno ventriculo templum ingreduntur, et conciones prolixiores audire coguntur, cephalalgia, vomitibus, vertigine, mensium suppressione, et hysterici mali exacerbatione corripiuntur. Vtinam in omni-

omnibus esset modus, certi denique fines.
Recursus hinc epilepsiae vterinae in nostra,
ab vsu carbonum, non erit mirandus.

6. Rarius in virginibus fluor albus occurrit. Laesionem enim vteri communissime supponit. Verum et corporis et animi ratio habenda est. Possibilitatem n. 3. ostendimus. Magis autem huic malo, nec non animi simul commotionibus obnoxiae sunt, quae cogitationibus lascivioribus indulgent, et ita pruritum circa vterum sese manifestantem, sequitur motus sensationi proportionatus. Eae porro vexantur, quae iam aetate prouectae, adhuc durum virginitatis iugum ferre debent, et desiderium clandestinum patefacere dubitant. Quoties enim cachexia, chlorosis, heftica spuria, deliria ab amore occulto obseruata sunt?

CASVS VIII. FEBRIS CATARRHALIS VESICVLARIS.

Vir quinquaginta duo annos natus, habitus corporis mediocris, mobili vitae genere deditus, refrigerationi vespertinae obnoxius fit, cum per integrum diem per

E 4 mo.



motum corporis calefactus fuerit. Molestiam primo deglutitionis sentit, ad raudem aliquam progradientem, sequitur pectoris angustia, corporis languor, pulsus adeo frequens et parvus. Interdum leues lateris dolores. Caput autem quam maxime dolet. Facies turgidula, et inflata. Die morbi quarto facies plena vesicularum grossi magnitudinem aequantium, redditur, huc et illuc erumpentium. Nucha denique et ipsa caluaria adficiuntur. Aurium fluxus sed satis moderatus accedit. Circa vesiculas ardorem molestum sentit. Aduocor, et dicta conspicio. Externe nihil admitto, nisi sacculum e floribus sambuci et chamomillae iam ab vxore impositum. Interne autem ordino Eft. alexiph. Stahl. Pimpin. alb. horis matutinis bis ad XXXX. gutt. sumendam, et puluerem febrilem salinum diaphoreticum ter post meridiem usurpandum. Altero die plurimae ruptae erant vesiculae, et quae adhuc vrebant caute forifice incidere iussi, quo facto multum feri plorabant. Interim promouetur transpiratio placida, per medicamenta partim, partim per infusum Thee. Cuticula indies magis separatur, et erosiones consolidantur. Dolores remittunt cephalalgici et pectorales, et post septimum diem aegrotus pristina sanitate gauisus ad consueta negotia reuertitur.

Epi-

Epicrisis.

1. Ii qui cutem laedunt morbi, non inter pauciores referuntur. Non quidem exulcerationes chronicas, sed tantum efflorescentias cutaneas in febribus attingam. Quot sunt purpurae species, et variolarum? optimum autem est, quod in curando parvum aut nullum discriben admittant, nisi quod in alia temperatior, in alia diaphoretica valeat methodus. Purpurae prouentus a multis quidem pro nouiter detecto morbo habetur, verum maiori fundamento pro antiquo declaratur morbo. Et huius purpurae speciem sebrem papularem, vesicularem, vrticataam esse notum est.

2. Benignior autem eiusdem decursus est, quam purpurae rubrae aut albae strictae sic dictae. Rationem videtur in seri excreti maiori copia sitam esse. Cum enim communissime a sudoribus repulsis vel impeditis oriatur, facile videmus sero iterum educere, stasibus remotis, et continuata diapnöe rem expediri. Exaestuantia autem medicamenta, calida bezoardica hic exsulet, blandas enim secretiones et humorum depurationes orgasmo sanguinis inducere, impediunt. Idem sentiendum de externis, emplastris poros obstruentibus,

E 5

pul-



pulueribus exsiccantibus vel vnguentis relaxantibus. Sicca autem epithemata, veluti in nostro casu, innoxia deprehenduntur. Horis remissis ergo per blandum diaphoreticum aequalem humorum distributionem intendere, paroxysmum temperantibus demulcere res ipsa postulabat.

CASVS X.

EFFLORESCENTIA CVTANEA, IN SVBIECTO IVNIORI TENELLO, CVM VLCE- RIBVS PROFUNDIS IVN- CTA.

Puellus trium hebdomadum statim a nativitate frequentes clamores edit, et inquietus iacet. Alius magis adstricta est. Mox etiam digitis cutem confricare tentat. Mater robusto corporis habitu gaudet, altera autem mammilla inflammata est et duriuscula, altera lac saltem tenue excernit. Pater habitus siccioris. In tenello huc et illuc in exteriori cute pustulae scabiosae erumpunt, parcus pus edentes. In diuersis autem partibus profundiora sunt vlcera. Sinuosum existit circa nates, interstitia glutaei masculi penetrans, et ad os sacrum per-

pergens, tanta capacitate, vt drachma vna
 et semis iniectionis mundificantis pro vna
 vice vix sufficeret. Alterum calcaneum
 occupat, cuius apertura per Empl. de Sperm.
 Ran. facta vix acus cuspidem aequat. Dilatatum
 vero per turundam, sinus ad digitum
 longitudinem detegebatur, peripheria autem
 satis dura erat. Simile vero vulnus in
 tibia conspiciebatur, nec non circa patellam.
 Tempora quoque non libera relinquebantur,
 quodus enim tegebat tumor
 praedurus nucem iuglandem aequans, ita
 vt pro exostosi ossis temporum haberi potuisse.
 Media pars sterni simili adficieba-
 tur modo. Pertinax denique vlcus in iun-
 ctura humeri cum radio et vlna euadebat.
 Per totum corpus furunculi excurrebant, et
 in vnius sanati locum, ad hydrae lerneae
 exemplum, decem alii succedebant. Dolores
 infans miserando ploratu significabat,
 et interdum epilepticos monstrabat subsul-
 tus. Vehementes quoque ciulatus rauce-
 dinem tandem producebant. Mater filio-
 lum ad tempus ablactabat, et ipsa lac suum
 tenue emulgebat, infante nutrici bonae tra-
 diro. Interne sanguinem depurantia, et
 aluum adstrictam soluentia ordinaui.
 Vtrumque effeci mixtura e Tinct. antim.
 Eff. Succin. Lign. Sassafr. et Anim. Rhab.
 partibus anaticis composita, quater per
 diem

diem guttas decem sumendo. Vulneribus leuioribus latis oleo ouorum et myrrae per deliqu. addito Ess. succin. et myrrh. tantillo prospexi, et emplastr. sapon. Barbett. cum camphora applicare iussi. Profundiora autem vlcera iniectione per syringam erant purganda. Parabatur idcirco decoctum foliorum Nicotianae saturatum aquosum ʒij ol. ouor. myrrh. p. d. ana 3ij Ess. Hypericon. succin. myrrh. ana. ʒj ol. philosoph. gutt. vi. Haec mixtura balsamica primum vulneri in natibus conspicuo iniicebatur, atque inde multum saniei et sanguinis educebatur. Satis autem repurgato sinu, solum oleum ouorum et myrrae finem imponebant. Cetera vlcuscula, praesertim in brachii articulatione, pertinaciora erant, vtpote quod semel haemorrhagiam non levem profundebat. Repetii ergo interna Anim. Rhab. cum Ess. Lign. Saffafr. et Ess. succin. et oleum philosoph. adhuc externis magis addidi. Tamdiu iniiciebatur liquor abstergens balsamicus, donec nulla amplius sanie mixtus effluere cooperat, tum turunda apertura claudebatur, quo iniectum eo efficacius operari poterat. Et sic effluxo sex vel septem hebdomadum spatio tenellus aeger restituebatur.

Epi-

❀ ❀ ❀

Epicrisis.

1. Ulcera scabiosa saepissime quidem in praxi occurunt, inter affectus autem infantum in tam tenera aetate constitutorum non facile numerantur. Mirandum omnino est, trium hebdomadum infantem tanta humorum peccantium abundantia vexari, quae ad affectus ulceroſos disponit. Mater autem plethorica grauiditatis tempore nullo notabiliori morbo laborans irae saepius obnoxia fuit. Sanguis ergo conspurcatus, foetum eiusdem participem reddidit. Testatur lactis tenuitas et falsedo de humorum prauitate. Bene ergo actum erat, nutrici infantem tradere, donec mater de meliori fingeretur luto, quippe quod etiam simili mixtura effectum est, altera saltim mamma inflammata hac vice ad lactandum inepta.

2. Succus, siue decoctum Nicotianae saturatum, egregios praestat in mundificatione effectus. Saturatum autem sit necesse est, alias aqua iniecta nimium relaxaret tonum. Septica praecipue e regno vegetabili petita, longe minores dolores, minorisque affluxum post se relinquunt, quam quidem metallica et mineralia. Haec enim acido principio praedita fibras magis vellitando corrumpunt, cum contra vegetabilia
fali-



salino principio abundantia, magis findendo et secando rem expediant. Ad haec mitiora cum septicis coniuncta, a doloribus novoque affluxu praeseruant. Communiter autem liquor balsamicus vulneri a chirurgis iniicitur, et cum materia corrupta iterum exprimitur, apertura denique turunda clauditur. Vnde hac ratione mundificatio debita? vnde consolidationis impedimento-rum remotio? Remouendae prius impuri-tates sunt, et tum adpropriatum medica-men pro vltiori depuratione intus contineatur! donec sequenti deligatione iterum educatur.

3. Ulcerationes in brachii iunctura nec non circa calcaneum pertinaciores fuisse, partium constitutioni exsangui adscri-bendum omnino est. Sincerus enim san-guis partibus exsanguibus non assimilatur, et sic balsamus naturalis non iusto applica-tur modo, et si forsan, facta haemorrhagia, applicatur, noua inde cum sero et acrior producitur fermentatio. Deinde partes exsangues maiori gaudent tono, sensibili-ores ergo sunt, facilitiori ergo modo irritan-tur, sensationi ergo motus superueniens in humorum affluxu saepius nimio con-sistit, taceo synoviam.

INDEX



* * * * *

INDEX C A S V V M DECAD. I.

- I. Casus. *Efficacia Arnicae in morbo a lapsu.* pag. 19
- II. *Febris acuta peripneumonica insequente cholera.* 24
- III. *Suffocatio seu strangulatio hypochondriaca.* 30
- III. *Oculorum affectus vapore tepido saturatus.* 36
- V. *Mors puerperae a resistantibus secundinis.* 44
- VI. *Vermes cum urina excreti.* 53
- VII. *Asthma spasticum siccum ex ira et neglecta sanguinis ventilatione.* 59
- VIII.

- ❀ ❀ ❀
- VIII. *Epilepsia et animi deliquium ex statu
menstruo inordinato, et fluore albo.* 66
- VIII. *Febris catarrhalis vesicularis.* 71
- X. *Efflorescentia cutanea in subiecto iuniori
tenello, cum ulceribus profundis
iuncta.* 74

FINIS DECADIS I.



Ug 675
25


ULB Halle
002 217 635

3



5b.

Farbkarte #13



AMOENITATES MEDICAE,

CIRCA
CASVS MEDICO PRACTICOS
HAVD VULGARES.

DECAS PRIMA.

PRAEMISSA EST
MEDITATIO AD HISTORIAM
ELECTRICITATIS.
ANTIQUAM,

AVCTORE
D. HENR. FRID. DELIO.

BOERHAAVE
in Praelect. Instit. med.

Qui medicinae se addixit, tenetur ex scientiae nostrae
natura, vt addiscat id omne, quod de vniuersa arte
aut veteres aut recentiores certum et indubitatum docue-
runt; deinde vt his demonstratis fideliter addat proprias ob-
seruationes suas: ea certe perfectione, quae in ho-
minum intellectum cadit.

LIPSIAE,
APVD THEOD. SCHWAN,
BIBLIOPOL. QVEDLINBURGENS.

M D C C XXXV.